



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Institutiones Canonicae Sive Ius Ecclesiasticum**

**Wiestner, Jacob**

**Monachii, 1706**

Titulus XVII. De Raptoribus & Incendiariis, & Violatoribus Ecclesiarum.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62649](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62649)



# TITVLVS XVII.

## De Raptoribus & Incendiariis & Violatoribus Ecclesiarum.

**A** Dulterio Furto & criminibus utrique affinis delinquentes inter medii sunt Raptores: qui vel Rerum sunt, vel Personarum. Res siue bona violenter auferentes Rapinam: Personas siue corpora humana per vim abducentes, vel Raptum, cum reliquis Rubricâ expressis criminibus hęc: vel Plagium, sequenti Titulo cum Furto declarandum crimen committunt.

### ARTICVLVS I.

#### De Raptu Personarum.

#### SUMMARIUM.

1. Raptus committitur mulieris honeste, aut maris,
2. Etiam consentientis, si alieni:
3. Si sui juris sit, non consentientis violenta abductione,
4. Causâ exercendæ libidinis, vel conjugij ineundi,
5. In locum moraliter diversum.
6. Raptus propriè non est abductio mulieris inhoneste.
7. Veri Raptus pena prodita Civili,

8. Canonico Veteri.
9. Et præsertim Novissimo Jure S. Synodæ Tridentinæ:
10. A qua statuta pena non omnes ipsõ Jure contrahuntur:
11. Neque afficiunt Raptum famina consentientia,
12. Et aliâ, quàm conjugij, causâ factum.
13. Contrahuntur Raptu propria sponsæ;
14. Non consentientis:
15. Cum qua inita sponsalia valent.
16. Pœnis Raptorum non tenentur famina Raptrices.

**R**aptus, ut hęc locò sumitur, est Virginis aut alterius solutæ vel ligatæ, honestæ tamen mulieris, aut etiam masculi violenta abductio de loco in locum moraliter diversum, exercendæ libidinis, vel etiam conjugii cum ea ineundi causâ, §. Cum ergo, V. Raptus post can. Lex illa, 16 q. 1. Clarus §. Raptus, n. 1. Molina Tom. 3. de J. & J. disp. 105. n. 1. & Pirrhing ad hanc Rubric. n. 1. siue deinde (spectato saltem veteri, & Civili potissimum Jure) vis illata sit ipsi personæ, per vim abductæ, siue ejus parentibus aut aliis, in quorum potestate vel jure est constituta; cum illius etiam consentientis abductione his maxima inju-

ma injuria inferatur, l. 1. §. 5. ff. de Injuris, Panormit. in c. Cum causa 5. n. 4. Clarus §. cit. n. 3. & Sanchez Lib. 7. de Matrim. disp. 5. n. 12. Si tamen inter raptam & raptorem sponsalia præcessissent, illius consentientis abductione Raptus poenas non incurri, ex c. cit. desumunt Panormit. & Barbosa, uterque in c. cit. n. 4. & cit. Sanchez n. 15. asserens, eò correctam l. Unic. pr. V. Qua multò C. de Rapt. Virg. Unde

3. Patet, raptum propriè dictum non esse Primò puellæ, in sui abductionem liberè & sponte consentientis, si ea est sui juris & sub nullius potestate constituta; quia in hujusmodi abductione abest vis ad raptum requisita, l. Quo naufragium 3. §. 5. ibi, Rapi autem sine vi non potest, ff. de Incendio, S. Thomas 2. 2. q. 154. art. 7. eumque secuti cæteri TT. & Canonistæ. Neque obstant l. Unica §. 2. Verba, Hinc pena subjaceant, sive volentibus sive nolentibus virginibus, sive aliis mulieribus, tale facinus fuit perpetratum; quia textus istius dispositio fundatur in præsumptione importunarum ac dolosarum persuasionum aut promissionum, vim quandam habentium, l. 1. §. 3. ff. de Servo corrupt. ut advertunt Gutierrez Q. D. Canon. Lib. 1. cap. 37. n. 21. & aliis DD. relatis Sanchez n. 6. & propterea, nisi sponte & ab ejusmodi fallaciis libero consensu se abductam, ipsa fateatur, id probandi onus raptori incumbere, ex Malcardo docet Gonzalez in c. fin. n. 4.

4. Secundò, ejusdem etiam invitæ ac reluctantis abductionem ob aliam, quam libidinis explendæ causam, factam, ut cum Claro §. cit. n. 1. docet cit. Sanchez n. 17. qui tamen rectè observat, ordinariæ raptus poenæ obnoxiam fore violentam abductionem puellæ causâ libidinis: quantumvis ab illa cum ea explenda rapiens fuerit impeditus.

5. Tertiò, ejusdem violentam & libi-

ditin etiam causâ factam ab unò ejusdem domus cubiculo in aliud, vel à via publica per aliquot solùm passus ad locum secretum, (ita occultandæ libidinis causâ) abstractionem; cum ita non abducatur ad locum moraliter diversum: ejusmodi tamen foret, si ab una v. g. à paterna domo in aliam abriperetur, Farinac. Prax. Criminal. q. 145. n. 74. quocum priori casu, non Raptus, sed violenti Stupri poenas incurri, ex l. Mariti 29. §. fin. ff. ad L. Jul. de Adult. desumit cit. Sanchez n. 20.

6. Quartò, violentam & libidinis causâ in diversum ac remotum locum factam abductionem alicujus mulieris, non violentis honestè, v. g. publicæ meretricis, l. Unic. pr. C. de Raptu Virg. junctâ Glossâ V. Virginum: quam proinde non ordinariâ raptus, sed arbitriò judicis statuendâ poenâ plectendam, cum Claro §. cit. n. 5. Covarruvia Lib. 3. Var. cap. 14. n. 2. in fine, idem Sanchez docet n. 23. & latè Farinac. cit. q. 145. à n. 135.

7. Veri autem Raptus criminis, quòd gravium scandalorum semper, & non rarò magnarum cladium causa fit, graves poenæ meritò decretae sunt. Imprimis Jure Civili, l. Unica cit. quâ in ipso raptu deprehensus raptor, eique auxiliantes ab ipsius raptæ cognatis & propinquis impunè poterant occidi, pr. cit. V. Nec igitur. Secundò, iidem post fugam comprehensi, & de raptu legitime convicti durissimis poenis & ultimò supplicio affici, negatâ appellandi licentiâ, jubentur ibid. V. Sin autem §. 2. quam poenam spectare videtur Ordinatio Penalù Caroli V. art. 118. Tertiò, raptoris eique in ipso raptus actu auxilium præbentium bona mobilia & immobilia raptæ adducuntur l. Unic. cit. §. 1. & 2. Quartò, inter raptorem & raptam virginem, aut viduam, vel aliam mulierem non potuit consistere matrimonium, cit. §. 2. V. Nec sic facultas & Novell. 145. V. Illo quoque,

quoque, Clarus §. cit. n. 7. & Farinac. q. cit. n. 25.

8. Jure tamen Canonico inter raptorem & raptam matrimonium olim validè, *can. Denique 9. & can. Si autem 36. q. 2.* postea verò etiam licitè potuit iniri, *c. Cum causa 6. & c. fm. hâc Rubr.* Eòdem tamen Jure antiquiori raptor efficiebatur quasi servus mulieris raptæ saltem, si ei vim intulisset: aut ejus parentis superstitis, cum facultate tamen seipsum competente pretiò redimendi, *can. de Raptoribus, junctâ Glossâ, V. Redimendi, 36. q. 1.* & si rapta esset Monialis raptoris & aliorum, qui ejus sceleris communione contaminati sunt, bona addicebantur Monasterio, in quo illa habitabat, *can. Si quis vapuerit 27. q. 1.* atque insuper raptor, si laicus, excommunicabatur, *can. 1. & c. q. cit.* si autem clericus esset, à gradu sive Ordine clericali decidebat, sive deponeretur, *can. De puellis 31. q. 1. & c. Si quis 4. de Purgat. Canon. cit. Sanchez n. 2. & Farinacius n. 20.*
9. Novissimò autem, hodièque observando Jure S. Synodi Tridentinæ Imprimis, inter Raptorem & Raptam, quamdiu ista in illius potestate manserit, matrimonium validè contrahi non potest: licet, postquam ab eo separata, & in tuto ac libero loco constituta est, cessante aliò Canonico impedimentò, id inire etiam licitè possint. Deinde, Raptor & alii, qui ipsi consilium, auxilium aut favorem præbent, ipsò Jure sunt excommunicati & infames, omniumque dignitatum incapaces: & si clerici fuerint, de proprio gradu seu statu clericali decidunt sive deponuntur. Demum Raptor mulierem Raptam decenter arbitrio judicis dotare debet, ut habetur *sess. 24. cap. 6. de Ref. Matrim.*
10. Atque hæc pœnæ locum habent in Raptu mulieris cujuscunque, etiam meretricis: quantumvis cum ea postea matri-

monium legitimè contrahatur. Non tamen incurruntur ante sententiam criminis declaratoriam, exceptâ excommunicatione, quam ipsò Jure & factò contrahi, patet *ex cit. cap. 6.* textu: quæ tamen ipsa, quia Papæ reservata non est, relaxari à Prælati inferioribus potest, *arg. c. Nuper 29. §. Nos igitur, V. In secundo, de Sent. excom. cit. Sanchez disp. 13. n. 1.* & aliis DD. relatis Barbosa in Tridentini *cit. cap. 6. n. 12.* Circa eas tamen pœnas, & matrimonii præfertim irritationem, varia dubia moventur.

Primum est, utrum incurrantur Raptu foeminae quidem consentientis, sed parentibus invitis. Affirmant id Tuschus *Prætic. V. Raptus, conclus. 5. num. 4. cit. Gutierrez cap. 86. n. 17.* & Henriquez *Lib. 12. cap. 14. n. 4.* Sed meliori ratione negant Lessius *Lib. 4. de J. & J. cap. 3. n. 79. cit. Sanchez n. 13.* & Laiman *Lib. 5. Tract. 10. p. 4. cap. 13. n. 4.* quòd S. Synodus loquatur de Raptu, lædente libertatem matrimonii: cujusmodi non est abductio foeminae consentientis, etsi parentes sint invitati; cum illius duntaxat & sponsi, non istorum, consensu matrimonium validè contrahatur, *can. Sufficiat, 27 q. 2. c. Cum virum 12. de Regular. c. Cum causa 6. hâc Rubr. Trident. Sess. cit. cap. 1. pr. de Ref. Matrim.*

Secundum est, an eadem pœnæ contrahantur Raptu, non matrimonii ineundi, sed libidinis solummodo liberius exercendæ causâ factò. Ratio dubitandi est; quòd S. Concilium de Raptore mulieris loquatur generaliter, inter Raptus, istiusque causas non distinguendò: imò etiam expressè loquatur de Raptoribus Clericis, qui matrimonii causâ mulierem rapere non possunt. Verùm probabilis S. Synodi Decretò latæ pœnis hujusmodi Raptum non affici, cum *cit. Lessio cap. 3. n. 7. Sanchez cap. 13. n. 3. & Gutierrez cap. 86. n. 8. de-*

n. 8. defendit Laiman *cit. cap. 13. n. 5.* cum; quòd Patres illius conditores punire intendant violantes libertatem matrimonii, ut patet ex *cit. cap. 6. Summâ* & ipso textus *pr. illius* libertati consulentibus, & dispositionem ad Raptum, matrimonii in eundi causâ factum, latis restringentibus: tum verò; quòd illorum decretum sit pœnale, atque insuper correctorium Juris antiqui, matrimonium inter Raptorem & Raptam, in ejus contractum liberè consentientem, absolute sustinentis.

Neque obstat; quòd Synodale decretum meminerit Clericorum; quia etiam isti, si in Minoribus, matrimonii verè: si in Majoribus Ordinibus constituti sint, illius de facto contrahendi causâ rapere etiam ipsi, & aliis istâ intentione rapientibus, consilium, auxilium, favorem præstare possunt, Sanchez *ibid. n. 8.*

13. Tertium est de Rapiente propriam sponsam de futuro: quem Conciliari decreto & pœnis non affici, volunt *cit. Lefsius n. 70. & Henriquez n. 4.* quod istius Raptu non lædatur libertas matrimonii; cum ad hoc vi sponsalium jam sit obligata, & possit compelli, *can. Desponsatam, 27. q. 2. c. Ex literis 10. c. Si inter 31. in fine & c. de Sponsal. & Matrim.* Sed, etsi hoc verum sit casu, quò sponsa in sui Raptum liberè consentit: eò tamen, quò hæc rapta est invita, Concilii dispositionem procedere, veriùs defendunt *cit. Guttierrez n. 22. & Sanchez n. 15.* id defuissent ex *c. Cum causa cit.* ubi Lucius III. dum à Raptu excusat abductionem desponsatæ, factam cum istius assensu, non obscure insinuat, abductionem invitæ Raptum fore. Quod etiam suadet ratio; quia invitæ Raptu verè læditur libertas matrimonii, ad quod ineundum sponsa de futuro, etsi juxta *cit. textus* valeat publicâ, privatâ tamen autoritate compelli, non potest.

15. Quartum est, an inter Raptorem & Raptam, quamdiu ista in illius potestate constituta est, etiam sponsalia de futuro sint irritata. Quod cum sæpius laudatis Guttierrez *n. 24. & Sanchez n. 17.* affirmant *cit.* Laiman *cap. 13. in fine* & Barbosa *in cap. 6. cit. n. 9.* eâ permoti ratione; quòd dispositum de matrimonio, locum etiam habeat in sponsalibus, *arg. l. Oratio 16. ff. de Sponsal.* Verum, quia ex una, istius textus argumento iis duntaxat casibus locus est, quibus eadem istorum, quæ illius, ratio est, ut aliis DD. allegatis idem Sanchez *Lib. 1. disp. 12. n. 3.* advertit: ex altera verò parte, non eadem inter istos initorum sponsalium & matrimonii ratio est; cum illa validè inita facile solvantur: hoc autem semel validè contractum & consummatum omnino insolubile sit, Matth. *cap. 19. v. 6.* idcirco merito Perez *disp. 38. de Matrim. f. 4. n. 8.* Raptam inter & Raptorem inita sponsalia pro validis habet; quòd Tridentini dispositio, tanquam correctoria & pœnalis, non sit extendenda, *arg. Reg. Odia 15. & Reg. Que à Jure 28. in 6.* eaque omissus casus sponsalium relinquendus sit sub dispositione Juris antiqui, *arg. l. Si verò 64. §. 9. ff. Solutio Matr.* ea nulpjam irritantis; imò matrimonium ipsum sustinentis, *c. Cum causa & c. fin. cit.*

16. Quintum & ultimum est de fœmina rapiente virum; nam & hanc à Trident. *cit. cap. 6. & Jure antiquo* decretis pœnis obnoxiam esse, cum Tiraquello *Connub. L. 9. n. 112.* volunt *cit.* Henriquez *n. 4.* Guttierrez *n. 6.* & Haunold *Tom. 6. de J. & J. tract. 2. n. 549. in fine,* quòd eadem sit ratio mulieris & viri; ac proinde, sicut propter paritatem rationis Canones viro divortium permittentes ob adulterium uxoris, ad hanc: sic etiam decretum de viro rapiente mulierem optimò Jure extendatur ad mulierem, quæ rapuit virum, juxta

juxta tritum, Ratio ubi est eadem, ibi debet esse eadem Juris dispositio l. Illud 32. ff. ad L. Aquil. præsertim in correlativis, ut sunt vir & mulier, Raptor & Rapta, per l. fin. C. de Indicta vid. & latè tradita ab Everardo Legal. arg. loco à Correlativis num. 8.

Nihilominus contrarium, & foemina Raptricem novissimâ S. Synodi Tridentinæ dispositione non comprehendi; ac proinde eam extraordinariâ poenâ arbitrâiudicis plestendam, post Clarum 6. Raptus n. 6. Menoch. de Arbitr. Jud. casu 291. à n. 30. & Sanchez cit. Lib. 7. disp. 12. n. 25. & disp. 13. n. 16. defendunt Farinac. q. cit. n. 40. Pontius Lib. 7. de Matrim. cap. 69. n. 6. & alii apud cit. Barbosa n. 5. partim; quòd poenales dispositiones ob solam rationis paritatem ad casus & personas non expressas non sint extendendæ, per ante dicta & tradita à Glossa in Reg. In panis 49. in 6. Castro de Lege Panali cap. 7. docum 3. & Suarez Lib. 6. de LL. cap. 3. n. 5. partim verò; quòd non sit eadem ratio; cum Raptus periculum multò minùs in foeminis, & ab his rarissimè viri: frequenter autem ab istis foemina raptantur. Alia ratio est Adulterii; quia isto æquè frequenter viri, quàm foemina polluantur: & æquè illi, quàm ista violant fidem & thorum conjugalem: ob quam causam ex conjugibus innocenti divortium est permittum: Confirmatur; quia leges non respiciunt ea, quæ rarissimè, sed quæ frequenter contingunt, l. Nam ad ea 5. ff. de LL. ac proinde in Raptore decreta non spectant Raptrices præsertim, cum poenalibus, aliisque dispositionibus odiosis Masculinò, secundum multos DD. comprehendi non soleat Foemininum, l. 1. §. 3. ff. de Ventre in possess. cit. Glossa in l. 1. ff. de V. S. Atque ita enervata est ratio contrariæ Opinionis.

## ARTICULUS II.

## De Rapina Rerum,

## SUMMARIUM.

17. Hac committitur injusta ablatio rei per vim.
18. Vis quintuplex est.
19. Differentia Rapinæ à Furto.
20. A Latrocinio & Prædatione.
21. Rapina non committitur sine violentia:
22. Neque invasione rei immobilis:
23. Neque rei mobilis destructione vel deterioratione.
24. Rapina poena Civilis:
25. Quæ mitior est, quàm Furti manifesti:
26. Poena Criminalis in Raptores Civili;
27. Et Canonico Jure constituta.
28. Poena surripientium res naufragantium Christianorum:
29. Quam non contrahit surripientium infidelium;
30. Et ad surreptionem realiter non concurrens.

**R**apina proprie, & pro distincto à Raptu, Furtoque vicino crimine accepta, est Injusta ablatio rei alienæ mobilis aut se moventis, per vim facta, Hostiens. in Summa de Raptor. rer. n. 1. & Sylvester V. Rapina, pr.

Est autem Vis seu violentia quintuplex, secundum Glossam inc. Ad audientiam 4. V. Causa, de iis, que vi metusve caus. Inquietativa, quæ verus & legitimus possessor molestatur, & re suâ quietè uti non permittitur ab aliquo, qui possessor non est, nec se esse prætendit: ad  
D d 2  
versus

versus quem competit interdictum *Quod vi aut clam*, l. 1. *Sc. ff. Quod vi aut clam*. Turbativa, quæ duorum vel plurium, unius ejusdemque rei se possessores esse contendentium, unus alterum turbat: ex qua, si res immobilis, *Uti possidetis*: si ea mobilis est, *Utroumque Interdicta* competunt, §. *Recinenda 4. Instit. de Interdictis*. Compulsiva, quæ etiam Conditionalis seu Metus vocatur, atque infertur, cum quis mortis, mutilationis, atrocium verberum, aut alterius magni mali comminatione ad aliquid dandum, faciendum vel omitteandum, quod plenæ libertati relictus non faceret, compellitur, l. *Continet 3. pr. ff. Quod metus causa Sc.* quam vim injuste passo actionem & exceptionem metus adversus inferentem competere, *Lib. 1. Tit. 41. à n. 52.* est dictum. Expulsiva, quæ infertur, cum quis domo sua depellitur, vel prædii aut alterius rei immobilis possessione armis aut aliâ violentiâ adhibita desicitur: quam passo pro recuperanda possessione adversus inferentem competit Interdictum *Unde vi*, l. 1. §. 3. *ff. de Vi armata, c. 1. c. In lueris 5. Sc. de Restitut. spoliar.* quod ad hanc Rubricam est declaratum. Ablativa, quæ rem mobilem seque moventem alteri, adhibita aut parata vi auferendâ committitur, & Rapina nuncupatur, *Farinac. Prax. Criminal. q. 166. n. 31. in fine & Harprecht ad pr. Instit. de Vi bonor. rapt. n. 8.* Unde

19.

Patet primò differentia Rapinæ à Furto; quia huic illa superaddit vim, *Hottienf. cit. n. 1. & Farinac. cit. n. 31.* ob cuius interventum furtò gravius est crimen, *can. Penale 14. q. 5.* & appositè à Juliano JCT. o *Furtum improbius* nuncupatur, l. *Prætor ait 2. §. 10. ff. Sc. pr. Instit. de Vi bonor. rapt.* continet enim duplicem injuriam proximi. Unam, quâ in rebus suis sive bonis, quæ ei, sicut per furtum, auferuntur. Alteram, quâ is læditur in

persona & honore, dum illa extorquendò violentia adhibetur, *Molina Tract. 2. de J. & J. disp. 683. n. 7. & Haunold. Tom. 1. de J. & J. tract. 2. n. 264.*

Patet secundo ejusdem Rapinæ differentia à Latrocinio & Prædatione; sicut enim Furto violentiam Rapina, ita huic Latrocinium & Prædatio seu viarum gratificatio infidiolam aggressionem & spoliationem in viis seu stratis publicis, cum vel sine cæde sive hominis interemptione, superaddit, l. *Capitalium 28. §. 10. Sc. 15. ff. de Pænis*, juxta dicta *Lib. 3. Tit. 49. num. 107.*

20.

Patet tertio, Rapinam propriè non committi Primò, ab eo, qui rem suam alteri auferit per dolum, non adhibita aut parata vi, sine qua rapina non datur. *Hottienf. cit. n. 1.* Secundò ab eo, qui hosti rem suam violenter auferit in bello justo, aut etiam alteri in extrema necessitate, vel autoritate legitimi Magistratûs; quia non auferit injustè, *Molina disp. cit. n. 2.* Tertio, à deiciente alterum de possessione prædii; quia est res immobilis, quæ propriè non auferri, sed invadi dicitur, §. 1. *in fine, Instit. de Vi bonor. raptor.* Quarto ab eo, qui alteri in rebus sive bonis suis infert damnum, ea destruendò vel deteriorandò; quia nihil alteri auferit aut agit causâ lucri faciendi, quod fieri solet injusta ablatione, & aliqui non malè expriment in Rapinæ definitione, *Gonzalez in c. Super eo 2. n. 10.* Quintò à rapiente alteri rem, quam putat esse suam; quia tali ablatione non, ut per rapinam duplex, sed simplex, scilicet violentiæ tantum; injuria infertur. Unde talis non incidit in pœnas Raptorum, sed in decretas l. *Si quis in tantam 7. C. Unde vi*, ex cuius dispositione rei, si ejus propria eive debita fuit, dominium vel jus, quod in ea habuit, perdit: si autem fuit aliena, ipsam & ejus æstimationem restituere debet, l. *Exeat 13. ff.*

22.

23.

13. ff. *Quod metus causa* &c. Molina cit. n. 3. in fine, & Gonzalez n. 10. cit.

24. Poena Raptorum civiliter conventorum Imperiali jure constituta est; quod auctori intra annum utilem condemnetur in quadruplum: cui tamen ipsa res ablata inest; ut auctori, præter rem ablatam, ejus triplum, hoc est, ejus æstimationæ pretium triplicatum præstare teneatur: post annum verò, quia actio Poenalis Prætoria est (& in foro Conscientiæ interno ante sententiam judicis, etiam intra annum, secundum D. Thomam 2. 2. q. 62. art. 4. & aliorum T. T. communem sententiam) solam rem ablatam: vel, si ea non extet, æstimationem cum refusione damni emergentis & lucri ex ablatione cessantis restituendi obligatio detur, l. 1. l. *Prætor ait* 2. §. 13. ff. pr. *Instit. de Vi bonor. rapt.* & §. *Vi autem* 19. *Instit. de Actionibus*, ubi Interpretes & DD. alii non parùm laborant in investiganda: non tamen cum Hunnio in *Trentl. Vol. 2. disp. 30. q. 34.* desperant de inveniendi ratione, cur fur manifestus poenæ nomine quadruplum, §. *Penam* 5. & §. *fin. Instit. de Oblig. ex delicto*: Raptor autem triplum præstare teneatur; itaque delicto graviori mitior poena legibus iancita sit, quàm leviori. Sed, ut taceam, quòd rapinæ triplum indistinctè; ac proinde etiam cum non manifesta est: furti autem non manifesti poena duplum tantùm sit, §§. *cit.* & contra raptorem non privatum duntaxat, sed publicum quoque judicium ex Lege Julia de Vi detur, ut advertit Harprecht *ad cit. pr. Instit. de Vi bonor. rapt. n. 22.* mitiorem poenam civilem Rapinæ constituendi non incongrua ratio fuisse videtur; quòd furta frequentiora, ad eaque homines essent propensiores, quàm ad exercendas rapinas; & propterea, ut consuleretur indemnitati privatorum, quo-

rum interesse poena civilis præcipuè spectat, conveniens fuerit; ut hujusmodi poena non minor furto quàm rapinæ, legibus decerneretur.

Criminalis autem poena Raptorum, 26. res alienas sine armis, sed tamen violentè auferentium, Lege Julia de Vi Privata olim fuit tertiæ partis bonorum, & omnis dignitatis honorisque amissio cum infamia, §. *Item lex Julia* 8. *Instit. de Publ. jud. l. 1. pr. ff. l. Tutoris* 2. C. ad L. Jul. de Vi privata: cum armis autem exercitæ rapinæ damnatorum eadem Lege Julia de Vi Publica deportatio, §. 8. cit. & Glossa fin. in l. *Qui dolo* 10. ff. ad L. Jul. de Vi publ. Cui cum tempore successit Bannum Imperiale, quò vis publicæ reus quoad personam & res suas extra communicationem Imperii constituitur, Mynfinger. in §. 8. cit. n. 3. in *Ordinat. autem Caroli V. art. 126.* Raptores indistinctè gladii vel alia mortis poenâ affici jubentur, observatâ cujuscunque loci consuetudine: quâ rapinas, præsertim in viis & stratis publicis & cum cæde, ut Latrones, rotæ supplicio, *Ordinat. cit. art. 130. & 137.* sine cæde autem, ut Grassatores & Prædatores solent, committentes capite plecti, ejusdem *Ordinat. art. 126.* & aliquando ita punitorum cadavera rotæ implecti aut imponi consueverunt, apud Carpzovium *Prædic. Criminal. q. 90. n. 12.* & Haunold. *Tom. 6. de I. & L. Traßl. 2. n. 537.*

Jure autem Ecclesiasticò Raporum 27. præcipua poena est excommunicatio, per sententiam infligenda ab Episcopo loci delicti, quantumvis delinquens sit diocesis alienæ: à qua absolvendus antè non est, quàm plenè satisfecerit, ubi rapinam excoit, vel caverit de satisfaciendo, c. 1. Id autem, si ante obitum nolit, vel in ipsa depraedatione interficiatur, sepulturâ Ecclesiasticâ, & tan-



quam mortuus in peccato mortali, Ecclesie suffragiis & fidelium Orationibus publicis privatur, *c. Super eo 2. hinc Rubric. & c. Fures 2. de Furtis.* Demum latrones publici viarumque grassatores, itinera frequentata & publicas stratas aggressionis insidiis obsidentes, si ad Ecclesias aliaque loca Sacra & Religiosa confugiant, tanquam Apylo sacro indigni, vi inde extrahi permittuntur, *can. Sicut antiquitus 17. q. 4. c. Inter alia 6. de Immunit. Eccles. & Constitutione Gregorii XIV. quæ incipit Cum aliis edita 28. Maij 1591, ut dictum est Lib. 3. tit. 49. à n. 150.*

28. Excommunicationem à Jure latam & Papæ reservatam etiam incurrunt, qui rapiunt bona Catholicorum naufragantium in mari, Bullæ Cœnæ *Casu 4. cui similis, sed non reservata excommunicatio à Concilio Lateranensi lata fuit in eos, qui Christianos naufragium passos rebus suis spoliant: si cum possent, eas non restituerint, sed retinuerint, c. Excommunicationi 3. Navarrus Manual. cap. 27. n. 118. Suárez de Censur. disp. 21. f. 2. n. 2. & Gonzalez in c. cit. n. 9.*

29. Christianos, Inquam, seu fideles Catholicos: non Paganos, Judæos, Sarracenos, Hæreticos aut etiam Piratas; quia verisimile non est, Concilium generale & summum Pontificem censuræ illius contrahendæ comminatione protegere intendisse Ecclesie Fideique Orthodoxæ ac Reipublicæ hostes, aut aliorum bonis ac libertati insidiantes, ut cum Bonacina *de Censur. in particul. disp. 1. q. 5. p. 3. observat Palao Tract. 29. disp. 3. p. 5. n. 8.*

30. Non furripientes tantum: sed eos quoque dictâ Censurâ ejusque reservatione affici, aliqui existimant, qui naufragantium fidelium res furripientibus consilium, favorem vel auxilium præbeat

eosve recipiunt; quod ex morali ad ablationem concursu res seu bona furripere ipsi quoque censeantur. Alii verò eos tantum censuræ subjacere volunt, qui ex naufragantium rebus aliquid accipiunt, sibi que retinent. Melius alii mediam viam tenent: & licet à censura illa absolvant eos, qui surreptionem consilio, favore promovent, eam ratam habent, aut furripientes recipiunt: ei tamen subijci volunt omnes, qui ad bonorum illorum surreptionem physicè & realiter concurrunt, aut ab aliis ablata scienter recipiunt. Rationem reddunt; quod hi, non etiam illi, verè ac propriè naufragantium bona furripere dicantur. Accedit; quod canonum Ecclesiasticorum conditores, quando censuræ, aut alteri pœnæ Consulentes, Fautores, Receptatores & similes obnoxios esse volunt, eorum mentionem faciant expressam, ut ex aliis *cit. Bullæ Casibus, ex c. Excommunicamus 13. §. Credentes, de Hæreticis c. Quicumque 2. §. Hæretici, Rubric. cit. in 6. Et, perspicuum est; consulentium autem, fautorum, receptatorum & similibus Papa propositò *Casu 4. & Concilium generale c. Excommunicationi cit. non meminerint: & uterque textus, tanquam penalis, extensionem non admittat, arg. c. Odis 15. & Reg. In panis 49. in 6. Bonacina cit. q. 5. p. 1. n. 3. & 4.**

### ARTICULUS III.

### De Incendiariis & Violatoribus Ecclesiarum.

### SUMMARIUM.

31. Incendiarii qui propriè dicantur.  
32. Incendium casu excitatum panæ obnoxium non est.

33. Exti-

- 33. Excitatum culpâ inducit obligationem restituendi.
- 34. Et arbitriô judicis punitur.
- 35. In dubio non præsumitur excitatum dolo.
- 36. Sed culpâ inhabitantium.
- 37. Ad damna ex eo secuta paterfamilias saepe non tenetur.
- 38. Dolo excitati incendiî rei severè puniuntur Civili.
- 39. Et Ecclesiastico Jure.
- 40. Pœna in Ecclesiarum violatores Imperiali.
- 41. Et Ecclesiastico Jure constituta.

31. **I**ncendiarii, de quibus altera Rubricæ pars, Germanicè Brenner, aut etiam Nordbrenner hœc locò vocantur, non qui casu aut ex incuria: sed, qui dolosè ac deliberatò animò, & sive odiò & vindictæ, sive alicujus commodi & lucri consequendi studiò impellente, oppida, pagos, prædia, domos aliavè ædificia, aut etiam bona aliena, ut segetes, acervos fructuum, sceni &c. per se vel per alios apposito igne incendunt, aut ad hoc auxilium vel consilium scienter præstant, *can. Pessimam, 23. q. 8. Animò*, inquam, *dolosò ac deliberatò*; quia incendium accidere potest Casu, Culpâ & Dolo: quorum

32. Primò modò excitatum, sicut caret culpâ, sic etiam à pœna est imune, & illati damni reparandi obligationem non affert, *l. Si fortuito 11. l. Qui ades 9. V. Casu, ff. de Incendio, ruina &c. Gaill. Lib. 2. Observat. 21. n. 1. & Farinac. Prax. Criminal. q. 110. à n. 3.*

33. Secundò, sive culpâ interveniente ortò, si culpa lata in utroque: si levis aut levissima tantum fuit, in Foro saltem externo ad interesse, sive ædium incendiò consumptarum, aliorumque damnorum reparationem obligatur is, cu-

jus culpâ accidit, *l. Qui ades, q. cit. V. Si quis verò, l. Capitalium 28. §. 12. ff. de Feniis &c. Si quis domum 6. de Injur. & damno. In externo*, inquam; quia in interno sive Conscientiæ Foro ante judicis sententiam damni reparandi obligatio culpam Theologicam & graviter peccaminosam præsupponit, per ea, quæ cum Sylvestro *V. Culpa n. 6. & Molina Tract. 2. disp. 698. n. 6. tridentur infra Tit. 36. à n. 33.*

34. Quantâcunque autem culpâ incendium fuerit exortum, ipsius admittæ reus incendiariorum ordinariam aliâve mortis pœnam non incurrit; quia illæ spectant incendium dolo, sive datâ operâ apposito igne excitatum: dolo autem in delictis quæcunque etiam lata culpa non æquiparatur, *l. In lege Cornelia 7. junctâ Glossâ, V. Culpa lata, ff. ad L. Cornel. de Sicar. Clarus §. fin. q. 84. pr. & Farinac. Prax. Criminal. q. 110. n. 10.* Quare eò ipsò, quòd incendio sine dolo excitato certa pœna lege definita non sit, arbitriò judicis id vel severâ reprehensione, vel mulctâ pecuniariâ, vel etiam corporali vg. incarcerationis, relegationis, fustigationis aut alia simili pœna, citra mortem tamen vel mutilationem, pro locorum varietate & culpæ incendiique ex ea secuti & personarum qualitate lecti posse & consuevisse, cum Farinac. *l. cit. docet Carpozivius Prax. Criminal. q. 39. à n. 33.*

35. Dubium hic occurrit, an incendium in alicujus ædibus exortum, de cujus origine & auctore non constat, casu vel culpâ excitatum præsumatur. Non præsumi excitatum delò, patet; quia hic nunquam præsumitur, *l. Merito 51. ff. Pro socio*, sed perspicuis indicis est probandus, *l. Dolum 6. C. de Dolo malo.*

36. Culpâ autem inhabitantium potius, quàm casu omnino fortuitò ortum præsumi,

fumi, & patremfamilias ad damni eo vicinis illati reparationem obligari, nisi suam & domesticorum culpam abfuisse probarit, tradunt Fachineus *Controvers. Lib. 1. cap. 87.* & Carpzovius *cit. q. 39. à n. 62.* eorumque sententiam theoreticè verioreni censet Haunold. *Tom. 6. de I. & I. Tract. 2. n. 342.* Ratio, quâ moventur, est; quòd in dubio præsumatur id, quod plerumque contingit: ædium autem incendia plerumque inhabitantium culpâ aliquâ excitentur, *l. Num salutem 3. §. 1. ff. de Offic. Præf. vigil. & l. Si vendita, 11. ff. de Pericul. & commod. rei vend. ac proinde paterfamilias; cum ex domesticorum suorum culpâ obligetur, damna illata incendio, orto in ædibus suis, reparare teneatur, si id casu accidisse, non probarit.*

37. Mihi hæc doctrina ex toto nec rejicienda nec amplectenda videtur Primò; quia, licet incendium, si aliud non probetur, regulariter aliqua inhabitantium culpâ, in omissione debitæ diligentia sita, excitatum præsumi valeat, per textus *cit.* præsumi tamen nequit excitatum culpâ vel ipsius domini, vel alterius certæ ac determinatæ personæ, ædes incolentis, ut rectè advertunt Gaill. *Lib. 2. observat. 21. n. 3. in fine,* & Farinacius *cit. q. 110. n. 93.* Deinde; quia paterfamilias non obligatur ex incendio, excitato culpa alicujus inquilini incerti aut indeterminati, per tradita à DD. *cit.* partim; quia, licet servorum negligentia factum sit, non continuo dominus in culpa est, ut Alfenus ICT. ait, *l. Si vendita cit. partim;* quia incendium, non probatâ culpâ alicujus hominis certi, inter casus fortuitos, quos regulariter nemo præstat, numeratur, ut ex *l. Contractus 33. in fine, ff. de R. l. l. Si ut certò 5. §. 4. l. In rebus 18. ff. Commodati &c.* desumit Harprecht in *§. Capite 17. Instit. de L. & Aquil. n. 9.*

Demum; quia, licet regulariter paterfamilias ex culpa famuli in officio delinquentis teneatur; non tamen tenetur ex culpa inquilinorum aliorum, & multò minus hospitem & advenarum, *l. Licet 6. §. fin. ff. Nauta, caup. stab. &c.* imò neque culpâ famuli, si iste pro fideli & diligente communitè habitus fuit, Farinac. *l. cit. n. 115.* & Mascardus *conclus. 894. n. 19.* quia tali casu paterfamilias ullam etiam levissimam culpam non commisit; ac proinde æquum non est, eum præter maximum detrimentum, quod alienâ incuriâ accepit, ad damni eadem vicino illati reparationem compelli; ne afflictio nova afflictio addatur, contra *l. Divus 15. pr. ff. de Offic. Præf. &c. Ex parte 5. de Clerico a grot.*

38. Tertiò modò, sive dolò excitati incendii atrocitatem, sicut omnes meritò abhorrent & abominantur, ita severissimâ ultione Imperiali Jure Veteri (attentâ qualitate personarum, loci incendii in aut extra civitatem excitati, & magnitudinis, tam ipsius, quam damni eo illati) muldebantur exilio, deportatione in insulam, vel capite pledebantur, aut verberati tradebantur bestiiis & comburebantur, *l. Qui ades 9. l. & §. fin. ff. de Incend. ruina &c. l. Si quis 10. ff. ad L. Cornel. de Sicar. & l. Capitalium 28. §. 12. ff. de Panis;* recentiori autem *Ordinationis Carolinae,* incendiarii dolosi generaliter, absque ulla inter personas, loca, damna secuta &c. distinctione, ignis supplicio affici, & vivi comburi jubentur *art. 125.* Quod supplicium, licet perniciosissimi criminis immanitas depolcat, ex consuetudine tamen, ad evitandum desperationis periculum, sic mitigari frequenter solet, & Jure nostro Provinciali spectatò in reo poenitente plerumque debet, ut ei prius intercludatur spiritus, quam comburatur, *Malassis*  
Procès

Proceſſi Tit. 8. art. 9.

39. Jure Eccleſiaſtico ejuſmodi incendiariorum clericorum, quia certa pœna non eſt prodita, arbitraria animadverſio eſt. Laici verò, qui Eccleſias, cœmeteria, aliæque Sacra aut Religioſa vel hiſ contigua loca ad triginta paſſus, *arg. can. Deſervit, 17. q. 4. incendunt*, ipſo jure & factò incurrunt excommunicationem, *can. Canonica*, junctâ Gloſſâ, *V. Violatores, II. q. 3. & can. Omnes Eccleſia, 17. q. 4. cit.* à qua, licet antè ab Epifcopo, poſtquam tamen per Eccleſiam publicati & nominatim denuntiati ſunt, à ſolo Papa abſolvi poſſunt, *c. Tua 19. de Sent. excom. Clarus §. ſin. q. 77. n. 19. Farinac. q. 110. cit. n. 15. & Barboſa in c. Tua cit. n. 2.* Prophanorum autem ædificiorum incendiarios, eis mandantes, & auxiliò vel conſiliò cooperantes, per ſententiam excommunicandos, *can. Peſſimam, 23. q. 8.* imò de conſuetudine ipſo jure & factò excommunicatos cenſeri, aſſerit Azor p. 1. *Inſtit. Lib. 9. cap. 17. q. 11.* apud *cit. Barboſa n. 4.* Præterea incendiarii ad poenitentiam admittendi, abſolvendi, in loco ſacro ſepeliendi non ſunt: niſi priùs damna reſarciant, aut de iis juxta facultates ſuas reſarciendis præſtiterint cautionem, *can. Peſſimam cit. & c. In literis 5. hæc Rubr.*

40. Incendiariis Eccleſiarum proximi ſunt earum Violatores, quales juxta propoſitæ Rubricæ partem tertiam ſunt, qui Eccleſias, aliæque Sacra aut Religioſa loca violenter eſſringunt ac ſpoliant. Cujuſmodi utique graviffimi Sacrilegii rei Jure Imperiali antiquiori pro qualitate delicti & delinquentium aliarumque circumſtantiarum varietate, vel deportatione in inſulam aut exiliò mulctabantur, vel ad metalla aut etiam beſtias damnabantur, vel pledebantur capite, vel ſuſpensebantur, aut vivi exurebantur,

per textus *l. Sacrilegii 9. l. Hæc lege 10. ff. ad L. Jul. Peculat. l. Si quis 10. & Aub. C. de Epifc. & cleric.* Modernò autem *Ordinat. Carolinae*, qui hierothecam cum ſacra hoſtia, vivus comburi: qui aliud ſacrum vas aureum argenteumve cum vel ſine Reliquiis, vel calicem aut patenam abſtulerit, aut templum, ſacrarium, ſacriſtiam, aut etiam gazophylacium furandi animò perſregerit, vel dolofis instrumentis aperuerit, mortis pro qualitate tamen circumſtantiarum exaſperatò vel mitigatò ſupplicio affici jubetur *Art. 172. & 173.* Qui verò minoris æſtimationis res ſacras v.g. candelabrum, mappam altaris aut res privatas depositas ex loco ſacro interdium & ſine fractura abſtulerit, ſicut furti prophanè reus, non ita facile tamen, ſicut hiſ, mitigatà poenâ, plecti jubetur *Art. 174.*

Jure Eccleſiaſtico verifiſſimò, ſicut <sup>41.</sup> Eccleſiarum incendiarii, ſic etiam hujusmodi Sacrilegii cum violentia & ſpoliatione perpetrati rei excommunicationem à Jure inſictam *can. Canonica, & can. Omnes cit. & c. Conqueſti 22.* junctâ Gloſſâ *V. Excommunicatos, de Sent. excom.* &, poſtquam denuntiati ſunt, ſedis Apoſtolicæ abſolutioni reſervatam incurrunt, *Suarez de Cenſuris diſp. 22. ſ. 2. n. 4. Sairus eodem Tract. Lib. 3. cap. 29. à n. 13.* & alii apud Barboſam in *c. Conqueſti cit. n. 2.* ilque, ſi ſatisfacere noluerint, ad poenitentiam non admittuntur: ſi autem volentes nequiverint, poenitentibus quidem abſolutio & ſacrum viaticum non denegatur, eorum tamen ſepulturæ intereſſe clerici prohibentur *Super eo 2. ubi Barboſa n. 2.*



E e

TITU.